





A D I A M B U M,

Ut CAROLUM PERERIUM V. Cl. ad-
moneat Fabulam jamdudum pro-
missam in lucem edere.



MOENITATIS & leporis arbiter,
Venuste Iambe; si quid ambo candidis,
Quod & placeret, utile & simul foret,
HUETIO probante, lusimus jocis:

PERERÎ amica quæso, nota nam via est,
Adire tecta concito velis gradu.

Et ut nihil retardet, aut gravet pedem,
Tibi illigare quem solet Tragedia,
Cothurnus absit. Ille quid novi feras;
Quò, & unde? si requirat; hæc modestiæ
Memor repone. Jamdiu esse debitam
Sodalibus fateris ipse Fabulam:
Ubi ager Imperator efferi gregis,
Catæ arte Vulpis, exuit cutem Lupo.
Meo hanc reposco jure. Cur trahis moras?
Et expolita pergis usque carmina
Severiore durus ungue radere?

At annus exit alter ista dum paras.
An ergo Gallus Hercules Hydræ ocuis
Valebit exsecare centuplex caput,
Opus Poëta quam queat breve exequi?

*Plaga è remota post labores plurimos
 Cerium Leoni quæ levamen affero,
 Noram probè hujus quidquid est periculi,
 Ideoque prorsus immemor somni & dapis,
 Deserta rura pervagabar, sicubi
 Quidquam salubre Principi nanciscerer;
 Quin ipsa saxa consulebam, ceu mihi
 Saxa ipsa respondere quirent, cùm meas
 Ter hæc quaterque monte rupta de cavo
 Paventis aures vox repente perculit.
 Calente pelle, quam Lupo detraxeris,
 Tibi fovendus est Leo. Sub hæc Lupus
 Ululare, totos intremere & artus miser,
 Audiri & ingens callidæ applaudentium
 Vulpi ferarum clamor, hanc Leo ocyùs
 Laudare, mox jubere consieri quod hæc
 Denuntiarat: irruunt cunctæ in Lupum,
 Ultura sese prima Vulpes insilit,
 Trucemque corio prima nudat æmulum.*

Hæc nos monebat Fabula exitum gravem
 Manere, rixam qui magis cauto movet.

